Linguae Sinicae

Linguae Sinicae[1] (confer Sinice 漢語/汉语 *Hànyǔ* 'lingua Sinica' et 中文 *Zhōngwén* 'litterae Sinicae') re vera constat in familia linguarum orta a ramo linguarum Sinotibetanarum. Loquentes saepe se eadem lingua omnes loqui putant, quia fere omnes eodem characterum systemate utuntur ut scribant, sed inter se pronuntiatu et grammatica tanto possunt discrepare ut alii alios intellegere non possint.


Sunt decem fere linguae Sinicae. Lingua Sinensis (forma normali seu docta Mandarina appellata), quia lingua publica Reipublicae Popularis Sinarum et Reipublicae Sinarum est, circiter 1 300 000 000 loquentium habens, plerumque ut lingua commoda Sinica habetur. Etiam sunt linguae Wu (Sinice 吳語/吴语), Yue seu Cantonensis (Sinice 粵語/粤语), Min (Sinice 閩語/闽语), Jin (Sinice 晉語/晋语), Xiang seu Hunanica (Sinice 湘語/湘语), Kejia seu *Hakkafa* (Sinice 客家話/客家话), Gan (Sinice 贛語/赣语), Hui (Sinice 徽州話/徽州话) et Ping (Sinice 平話/平话); de quibus omnibus plura legere licet in tabula quae sequitur.

Nomen	Breviter	Pinyin	Nomen locale	Sinice simpliciter	Sinice traditionaliter	Locutores (c.)			
Mandarina includit Mandarinam normalem	Guan; 官	Guānhuà	—	官话	官話	1 365 000 000			
		Běifānghuà	—	北方话	北方話				
Wu includit Sciamhaevensem	Wu; 吴／吳	Wúyǔ	Ng nyiu *seu* Ghu nyiu	吴语	吳語	90 000 000			
Lingua Yue includit Cantonensem	Yue; 粤／粵	Yuèyǔ	Jyut^{6} jyu^{5}	粤语	粵語	c. 80 000 000			
Min includit Taivanensem & Teochew	Min; 闽／閩	Mǐnyǔ	Bân gú *seu* Mìng ngṳ̄	闽语	閩語	50 000 000			
Xiang	Xiang; 湘	Xiāngyǔ	Shiāen'ỳ *seu* Shiōn nỳ	湘语	湘語	c. 35 000 000			
Kejia	Kejia; 客家	Kèjiāhuà	Hak-kâ-fa *seu* Hak-kâ-va	客家话	客家話	35 000 000			
		Gan	Gan; 贛	Gànyǔ	Gon ua		赣语	贛語	31 000 000
Jin e lingua Mandarina	Jin; 晋／晉	Jìnyǔ	—	晋语	晉語	45 000 000			
Hui e Wu	Hui; 徽	Huīzhōuhuà	—	徽州话	徽州話	3 200 000			
Ping e Yue	Ping; 平	Guǎngxī Pínghuà	—	广西平话	廣西平話	5 000 000			

Nonnulli sermones a populis minoribus adhibentur et hucusque e classificatione omissi, inter quos: sermo Danzhou (儋州话／儋州話) quo in Danzhou insulae Hainan loquuntur; Xianghua (乡话／鄉話) in regione Hunan occidentali; Shaozhou Tuhua (韶州土话／韶州土話) in Quantunia septentrionali. Lingua Dunganica, in usu in Asia Media est Mandarinae cognata, e grege linguarum Sinicarum saepe omittitur, Cyrillice scripta et a populo Dungan (qui minime inter Sinas recipitur) adhibita.

Index

Linguae Sinicae 漢語/汉语	
Taxinomia:	Series linguarum e familia Sinotibetana
Locutores:	fortasse 1 300 000 000
Sigla:	1 zh, 2 chi, 3 zho
Status publicus	
Officialis	Res Publica Popularis Sinarum, Res publica Sinarum, Singapura, Consociatio Nationum
Privata	civitates Asiae orientalis et undique
Litterae:	
Scriptura:	Sinica
Procuratio:	中国国家语言文字工作委员会, 國語推行委員會, 新加坡推廣華語理事會



Familiae linguisticae coloribus Vicipaedicis pictae



Forma linguarum Sinicarum

Soni

Quique character Sinicus simul et singulam syllabam et distinctam cogitationem (dictionem) exprimit. Lingua igitur monosyllaba dici potest.

Quaeque syllaba constat in consonante et exitu qui continet vocalium et consonantes finales. Ut soni Mandarini characterum melius discantur, hodie ratio pinyin late adhibetur, ubi soni litteris Romanis transcribuntur.

Inter aspectos mirabiles huius linguae est systema tonale adhibitum. Quinque toni adsunt qui significationem dictionis mutant. Exempli causa Mandarine:

- mā mater (voce altá, longáque duratione, sicut ā Latina in māter)
- má funis (voce surgente, sicut ā Latina cum plura emphasi in "Māter! Quid fecisti?!")
- mǎ equus (voce demissa, longá duratione sicut duae Latinae ăă)
- mà contemptio (voce cadente, brevi duratione, sicut ă Latina simplex cum maiore emphasi)
- ma particula interrogativa (voce demissa, brevi duratione, et omnino sine emphasi)

Grammatica

Nomina

Nomina nullo modo declinantur: nec ob numerum nec genus nec casum mutantur. Ergo, 樹 (simplificato 树, pinyin *shù*) significare potest "arbor", "arbores", "omnis arbores." Numeri autem rei cuidam, ut exprimantur, necesse est 'mensurae dictionem' addere inter numerum et rem cuius numerus describitur.

Genetivus exprimitur addendo suffixum 的 (-de, significans fere *cui ille*, *de quo ille*, et *spectans*): e.g. 樹的 ~ arboris.

Pronomina personalia (principalia)

- 我 wǒ = ego, me, mei, mihi
- 你 nǐ = tu, te, tui, tibi
- 他 tā = is, eum, eius, ei
- 她 tā = ea, eam, eius, ei
- 它 tā = id, id, eius, ei

Ut pluralis formetur, additur suffixum 們 (-men): exempli gratia, 我們 wǒmen = nos, nobis, etc.. Hoc suffixum autem ut pluralis notio exprimatur ad alia nomina non addi non potest; ut ei numerus exprimatur necesse est numerum aliter indicare.

Ut genetivus formetur, addi potest suffixum 的 (-de, significans fere *cui ille* ut supra): e.g. 我的 wǒde ~ mei, meus.

Supra ostenditur quod eodem sono tā dici potest multi characteres 他 她 它, significatu omnino discrepantes. Etiam, singulus character potest duos vel plures sonos habere; et quae cum ita sit, hic character significat duas res, vel plures.

Verba

Verba sicut nomina non declinantur: nec ob personam nec numerum nec genus nec tempus mutantur. Tempus autem indicatur per adverbia, et varia particula verbo suffixa. Ergo,

- 有 yǒu = "habeo", "habes", "habent", "habere", etc.
- 是 shì = "sum", "est", "esse", etc.
- 說 shuō = "dico", "dicere", etc.

Suffixa quae verbi sensum mutant sunt exempli causa:

- 了 -le significat "quod iam accidit", praeteritum perfectum simplex indicans; e.g. 有了 = yǒule = "habui, habuit, etc..."
- 啦 -la indicat praeteritum verbi participium; e.g 說啦 = shuōla = "dictus, dicta, dictum..."

Constructiones quibus aspectus perfectivus redditur:

- 已經 yǐjīng = "iam", "Id iam accidit ...". Hoc dictum ante praeteritum verbi participium reddit aspectum perfectum; e.g. 我已經說啦 X = "mihi id iam accidit X dictum" = "X dixi"
- 還沒 háiméi = "umquam haud" = "haud id umquam accidit..." Hoc dictum ante verbum post quod 哪 na = "minime" sequitur, reddi potest formam negativam: 我 還沒 說哪 X = "non dixi X"

Constructiones quibus aspectus progressivus redditur:

- 正在 zhèngzài = "nunc agitur quod.." vel "nunc continue"; ut 我 正在 說 X = "ego X dico" vel "ego X dicens sum"; 我 正在 說了 X = "ego X dicebam"...
- Etiam 在 (="iterum" vel "continue") solum adhibetur, ut etiam 我 在 說 X = "ego X dico", etc..

Clausulae relativae

Clausulae relativae particulā genitivā 的 (de) formantur. 見的人 potest significare "homo qui videt" aut "homo quem videt" (vel "quem vidi", vel cetera); significatio e contextu intellegenda est.

Adiectiva

Adiectiva Sinica sunt simillima verbis, itaque cum adiectivis 是 non ursurpatur. 馬白 significat non "equus albus" sed "equus albus est"; adiectiva huius generis adiectiva praedicativa appellantur. Adiectiva quae nomina modificant appellantur adiectiva attributiva. Adiectiva attributiva clausulis relativis formantur; ut "equus albus" dicatur, 白的馬 dicitur. Ergo 白的馬走 significat "equus albus currit" (vel "equi albi currunt" vel "equus albus currebat" vel cetera). Non numquam particula 的 omitti potest, itaque 白馬走 quoque significat "equus albus currit". Particulam omittere saepe licet si connectio inter adiectivum et nomen fortis est.

Nexus interni

- Lingua Sinica antiqua
- Matthaeus Riccius

Notae

1. "Lingua Sinica": Petrus Ribadenaira, Philippus Alegambe, Nathaniel Sotvellus, *Bibliotheca Scriptorum Societatis Iesu*, vol. 2 (Romae: 1676), p. 598 (https://books.google.com/books?id=GKtLAAAAcAAJ&pg=RA1-PA598&q=%22lingua%20sinica%22).

Bibliographia

- DeFrancis, John (1984). *The Chinese Language: Fact and Fantasy*. University of Hawaii Press. ISBN 0-8248-1068-6.
- DeFrancis, John, ed. 2003. *ABC Chinese-English Comprehensive Dictionary*. Honolulu: University of Hawai'i Press. ISBN 0-8248-2766-X.
- Hannas, William C. (1997). *Asia's Orthographic Dilemma*. University of Hawaii Press. ISBN 0-8248-1892-X.
- Norman, Jerry (1988). *Chinese*. Cambridge University Press. ISBN 0-521-29653-6.
- Pulleyblank, E. G. 1984. *Middle Chinese: A Study in Historical Phonology.* Vancuverii: University of British Columbia Press. ISBN 0-7748-0192-1.
- Qiu, Xigui (2000). *Chinese Writing*. Society for the Study of Early China and Institute of East Asian Studies, University of California, Berkeley. ISBN 1-55729-071-7.
- Ramsey, S. Robert (1987). *The Languages of China*. Princeton University Press. ISBN 0-691-01468-X.

- Schuessler, Axel. 2007. *ABC Etymological Dictionary of Old Chinese*. Honolulu: University of Hawai'i Press. ISBN 978-0-8248-2975-9.
- Minglang, Zhou. 2003. *Multilingualism in China: The Politics of Writing Reforms for Minority Languages, 1949-2002*. Berolini: Walter de Gruyter. ISBN 3-11-017896-6.

Nexus externi

- Learn Chinese (http://people.wku.edu/haiwang.yuan/AudioChinese/index.html) - Linguam Sinicam disce **(Anglice)**
- Chinese Paradise (http://www.chinahaa.com/) - Linguam Sinicam disce **(Anglice)**
- Learn Chinese - Interesting and Easy (http://www.learnmandarinonline.org) - Linguam Sinicam disce **(Anglice)**
- Chinese-Course.com (http://www.chinese-course.com/) - Linguam Sinicam disce **(Anglice)**
- Hi! I Love Chinese (http://ilovechinese.hellomandarin.com/) Linguam Sinicam disce **(Anglice)**
- Chinoesfera (http://www.chinoesfera.com) **(Hispanice)**
- Ethnologue - Language of the World (http://www.ethnologue.com/show_language.asp?code=zho) - "Macrolingua" Sinica (nexus ad paginas de singulis linguis)] apud Ethnologue **(Anglice)**
- Chinese Text Project (http://chinese.dsturgeon.net/text.pl?node=3925&if=en) - Inceptum veterum litterarum Sinicarum **(Sinice, Anglice)**